

4924

1991

32.

D. E.  
DISSERTATIO  
DE  
**CORTICE  
PERUVIANO,**

CUJUS

PARTEM PRIOREM  
CONS. EXPERIENT. FACULT. MEDICA  
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI

PRÆSIDE,  
VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**DN. DOCT. CAROLO  
LINNÆO,**

EQVITIS AURATI DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRI,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORIS REG. ET ORD.

PUBLICÆ VENTILATIONI OFFERT

**JOH. CHRIST. Pet. PETERSEN,**

HOLMIENSIS.

IN AUDIT. CAROLIN. MAJ. DIE MAJI  
ANNI MDCCCLVIII.

H. A. M. S.

---

U P S A L I Æ,  
Exud. L. M. HØJER, Reg. Acad. Typogr.

VIRO NOBILISSIMO atque EXPERIENTISSIMO  
**D:no PETRO PETERSEN,**

S:Æ REG. M:TIS ARCHIATRO Ord.  
Medicinæ DOCTORI Celeberrimo  
atque longe meritissimo  
PATRI VENERANDO,

Cum omni occasione mihi incumbat, *Tibi Venerande Pater*, tam de tota meæ vitæ ratione, quam præsertim de industria in studia adhibita, rationem reddere; specimen merito hoc in hac Academia a me defensum, in testimonium meæ erga *Te Reverentiæ summæ Tibi sacrare debui*, quo perinde meos in arte salutare profectus dijudicare, applicationemque tam tuæ quam & Virorum hujus Academiæ longe Celeberrimorum fidelis informationis, considerare possis. Non quidem spero opusculum hoc tua omnimoda digneri approbatione; dum ob notitiæ meæ imperfectionem experientiaeque sufficiens defectum, a perfectione quam longissime recedit; in meliorem tamen partem a *Te fore interpretatum nullus dubito*, cum certissima documenta, experimenta & observationes hujus dissert. fuerint principia.

Quod reliquum a summo Numine perpetuam perfectissimamque sanitatem, omnisque generis felicitatem toto corde *Tibi appreco*; quo ad familiæ nostræ gaudium lætissimum, socrorumque emolumentum, ad Nestores annos, felix vivas, vigeas, floreas. Me vero ad extremum usque vitæ anhelitum permanfurum, credas

NOMINIS TUI REVERENDI

Filium & Cultorem devotissimum  
J. C. P. PETERSEN.



## Q. B. V.

um omnia quæ ad hominis sustentationem conservationemque spectant, quando vel a naturali bona conditione recedunt vel male & perverse adhibentur, sanitatem quoque ejus perturbare atque extirpare, immo & vita præmatu-  
re ipsum privare possunt; ille

quotidiano corporis sui perniciet periculo esset subjectus, si vel summum numen facultate eum destituisset convenientem naturæ ejus & rerum non naturalium faciendi usum; vel si nullis paravisset mediis, quibus cum ex errore in ipsis commisso ignorantiae vel neglectus sentiret fructus, eos iterum possit propulsare & removere.

Æterna vero hæc bonitas hominem tam facultate prædidit, qua corpori quid utile quid damnosum sit, tam sensibus quam experientia magna illa magistra, discernere possit, hoc rejicere, illud eligere, quam omnia ei donavit quæ ad sanitatem suam vel proprio vitio vel abque eo amissam, restituendam conducunt. Eum enim in finem montes & valles magna ornavit herbarum copia, medicinas in regno animali distribuit, immo in profunditate ter-

A

ræ

re collocavit thesauros sanitatis, hominique dedit facultatem ea ubicunque cognoscendi, sibi subjiciendi, inque usum sustentationemque suam convertendi. Hæc vero bonitas eo præcipue est multiplicata, dum nonnullis mediis proprias plane præbuerit vires, & tanta etiam ipsa produxerit quantitate, ut omnes & singuli in usus suos convertere possint. Non met quidem est propositi, omnem remediiorum tali vi præditorum enumerare copiam; Corticem vero peruvianum in eorum numerum omni jure referre debere, existimò, dum non modo satis copiosa ad sit quantitate, sed & per egregios effectus potissimum eorum unum esse, se manifestaverit. Quis enim in orbe medico tam est rudis, ut ignoret, hoc Pharmaco non modo omnes intermittentium febrium species certe & secure tolli, verum etiam alios morbos, quos efficaciora remedia sœpe frustra sunt adgressa. Si igitur Cortex peruvianus inter remedia s. d. specifica locum obtinuit fere principem, & a Doct. Sydenham unicum & solum declaratur specificum <sup>a)</sup>, honoribus cumulatur quæ revera ei competunt; Sicuti vero magni nominis & virium remedia, non semper utiles atque salutares præstant effectus, sed recte adhibita illos solum evant; sic æstimare non possumus Corticem esse absolute bonum remedium, sed potius concludendum, illum instar aliorum remediiorum heroicorum maximum sœpe causare damnum atque perniciem, nempe si perverse eo utitur. Et certe damnum hoc pharmaco sœpius perversa applicatione productum non est leve, cum & ejus patroni amicique in scriptis eorum multos allegant casus qui testimonium inde præbent; & si verum quod Vir tam ob insigne ingenii dotes & acumen mentis quam ob abusum inde factum multifarium in mundo eruditio, pernotissimus, narravit, Bœrhaius immortalis summi habuit momenti, dicendo, corticem post ejus in Eu-

<sup>a)</sup> Sydenham. op. un. præf. pag. 29.

pa introductionem plus trucidae hominum, quam omnes  
Ludovici XIV. exercitus.

Hujus quidem non adhuc est loci, emolumenta &  
damna corticis usu producta pertractare; ex dictis vero  
jam sequitur, maximi esse momenti, ut qui praxin medi-  
cam exercere cupit, notitiam de hoc pharmaco sibi acqui-  
rat quantam fieri potest perfectam; ut praesertim diligen-  
tissime inquirat, quomodo in solida fluidaque corporis no-  
stri secundum diversum sexum, temperamenta, etates  
atque tempora anni agat tam in sanis quam ægrotis; que  
notitia ita debet esse comparata, ut ante applicationem  
hujus medicamenti, effectus secundum diversos corpo-  
rum & morborum status tanquam praesentes sibi repræsen-  
tare ipsosque prædicere possit. Quod vero ego ex ore fi-  
delissimorum præceptorum hujus Academiæ, ex scriptis  
optimorum practicorum & ex nonnullis secundum eorum  
exemplar cum cortice institutis propriis observationibus,  
de eo novi, hac dissertatione mihi jam legibus hujus Aca-  
demiae convenienter pro specimine adhibitæ diligentia &  
per illam acquisitæ notitiae in medicina, publice defen-  
denda, pro facultate mea tradam.

§. I.

HISTORIA ET FATA CORTICIS PRÆCIPUA.

A:o m. MDCXLIX. Cortex peruvianus, alias  
quoque China, Chinchina, Cortex febrilis & fe-  
brifugus, Cascara de Loxa, Cascarilla, Lignum  
de lima, Palo de calentauras, Chinchona &c. dictus  
per proregem Hispanicum Comitem del Chinchon &  
non multo post per nonnullos Jesuitas in Hispaniam per-  
lata fuit. Hi, ipsum postea in Italia forma pulveris & nomine  
Cardinalis de Lugo contra idem auri pondus vendiderunt,  
unde postea fere per totam Europam innotuit. Sacricola-  
rum horum avaritia atque argenti cupiditas per longum  
quod effluxit temporis intervallum diligentissime celavit,

esse corticem pulverisatum arboris Ganaperidis dæti b). Tandem vero cum & hoc innotesceret, notitia tamen exacta ejus arboris longe post defuit ad annum MDCCXXXVII. In eo vero & quidem conventu Acad. Scient. Parisiæ epistolæ a D:no de la Condamine ad D. de la Fay missæ ab eo perlegebantur, quibus sequentis inerat arboris hujus corticis descriptio c). Crescit nempe in America meridionali & quidem in regno peruviano apud provinciæ quitenfis oppidum Loxa, nec non alibi in montium jugis, ad medium partem & radices, raro vero in plantie animadvertisit. Cajanam præcipue montem & altos adjacentes uti & a Loxa remotos occupat. Non adeo est procera, sed ad pruni circiter altitudinem excrescit. Insigniter in ramos est divaricata, caudex est mediocris & folia quæ ramos vestiunt sunt simplicia, opposita, ovato oblonga, anterius cuspidata, integerrima, petiolata, tres unicas longa, duas lata, sat crassa, costa medium longitudinem excurrente, ex qua nervi laterales ad oras successives, obligant. Extremis ramis e summo arboris prædeuntibus unus vel plures innascuntur florum fasciculi, figura & colore cœruleo, antequam aperiantur Lavendulæ florum nonnihil similium. Communis florum pedunculus ex aliis foliorum emergit, & in plures pedunculos minores divaricatur, singuli singulum florem gerentes, perianthio donatum minimo, quinquedentato, persistente & Embryoni insidente; Corolla monopetala est regularis & infundibuliformis, Hyacinthi floræ fere similis magnitudine & figura, tubo 9 lineas oblongo, limbo patulo, quinque vel sexido, laciniis acutis, marginè attentius insipienti leviter ferrato. Color corollæ intus est miniatus, ad medium vividior, ad margines pallidior, extus rubore squalido cum lanugine albicante. Ex fundo tubi oblongi egreditur

b) Lemery Diction. de Drogues. c) Geoffroi mat. medicale Tom. 8. p. 309.

pistillum stigmate oblongo & viridi instructum, tubum quod non excedit, & circumdatur s<sup>y</sup> staminibus pallide luteis & intus reconditis. Embryo in capsulam olivæformem permutatur, quæ aperitur a basi ad apicem duis loculamentis per septum separatis & margine cinctis membranaceo & pellucido, unde fere semper Semina parva compresla capsula erupta proveniunt. Valvæ arescunt & fiunt breviores & latiores. Ex hac floris descriptione patet eam ad Clafflin secundum Nobil. Præsidis systema vocatam Pentandriam Monogyniam pertinere d).

## §. II.

Historia docet Chinchinam apud Americanas gentes per multum jam antea temporis spatium contra febres intermitentes fuisse usitatam, quæ ex Leonibus febre saepius vexatis comesto vero Cortice sanatis, eam in usus suos convertere didicerunt e). Anno vero 1640 uxor proregis Hispanici, tunc Comitis del Chinchon, tertiana intermitente vehementi, quæ saepius epidemice in ea regione gravatur cortice sanata fuit, unde Hispanis ibidem & ita porro f) in ipsa Europa, uti jam mentionem injeci, innovuit. Magnum pulveris cardinalis de Lugo prætium, abunde testator, quanti febrifugum hoc tunc in Europa fuit estimatum. Sicuti vero plerumque res peregrinæ multa experiuntur fata, antequam verus justusque eorum determinari possit usus; idem quoque contigit Chinæ. Quantum enim per nonnullos annos in Europa erat celebrata, tantum postea infecura atque noxia fuit declarata g), adeo ut omnis fere ejus usus fuisset suspensus atque Americanis solis relictus. Ansam ad hanc mutationem præcipue præbuisse videtur, quia tempus, dosin, usus reiteratos &c.

d) Linæi gen. plant. pag. 413. e) Histoire de l' Academie Royale 1738. p. 233. f) Geoff. mat. med. Tom. 2. pag. 312. g) Geffroi loco cit.

ad penitus extirpandam materiam febrilem vigoremque corporis restituendum adhuc ignorabant, quod etiam scitu difficile erat, ob magnum pretium ad instituenda tentamina perinde impediens. Non tamen deerant qui corticem in febribus intermittentibus adhibebant, nomine tamen ejus occulto, ne propriam periclitarent famam, nec lucrum ex utilitate medecinæ ignotæ possessoribus proficisciens, amitterent. Talis erat Robertus Talbot, Eques Anglicus, qui multos in Gallia febre laborantes nomine remedii Anglicani Corticis sanavit. Munificentia vero tandem & liberalitas Ludovici XIV. arcanum Talboti patefecit, & cura diligentiaque Monarchæ hujus Cortex Chinchinæ sufficienti quantitate ad Galliam & denique per alios ad totam Europam perlata fuit. Tali modo celebritas hujus febrifugi amissa iterum restituebatur. Multi quidem Medici & post hoc tempus usum ejus iterum suspicuum reddere voluerunt, frustraneis tamen semper conatibus. Ipse quondam ob eruditionem in Medicina præser-timque scripta chemica & practica Cel. Stahl & variis discipulorum ejus in quorum numero est Cel. Halæ Professor Juncker, odio Corticis singulari fuit affectus, adeo ut & hic ineptum nominaverit medicamen, urgendo ad plane sauciendam ejus famam, reginam Hispaniæ usus ejus præmature diem obliisse supremum, regemque Philippum V. eo periculis atrocissimis fuisse expositum.<sup>k)</sup>. Immo & ipse Ramazzinus, vir ille ævo sua fama & auctoritate florens, & qui commentarilis suis de morbis artificum & morbis principum uti & allis scriptis doctissimis famam sibi acquisivit egregiam, ultimis fere vitæ diebus Corticem peruvianum scripto culpavit, usus ejus experientia propria ante non modo approbato, verum & aliis commendato. Inconstantiae hujus qualis & fuerit causa, certum tamen est, solitum heic errorem fuisse commissum, ut ipsi rei impu-

<sup>k)</sup> Junkeri Theraph, special. p. 656.

imputetur, quod minus rectæ adapplicationi solum adscribi potest, uti hoc quidem in ipsa Autoris inscriptione promittitur. Sic aliquando bonus dormitat Homerus.

## §. III.

Quanta vero fuit malevolorum & inimicorum Chinæ in nostro ævo copia, qui egregiam in feribus intermittentibus utilitatem in dubium vocare studuerunt; tot quoque habuit amicos, defensores laudumque suarum Præcones. Quantum enim Tortus<sup>l)</sup> atque Lancifius<sup>m)</sup> in I'aia, Hofmannus<sup>n)</sup>, Bergerus<sup>o)</sup> & Wherlof<sup>p)</sup> in germania, Boerhavem<sup>q)</sup>, van Svieten<sup>r)</sup> & Johan de Gorter<sup>s)</sup> in Hollandia, Helvetius<sup>t)</sup> in Gallia, Richardus<sup>u)</sup> Morton & Sydenham<sup>v)</sup> in magna Brittannia, fratres duo Nicolaus & Eberhardus Rosén<sup>w)</sup> in Svecia & præter nominatos egregios viros multi adhuc alii doctissimi experientissimique medici rem ejus egerunt, quantaque dexteritate felicique cum successu contra omnes adversariorum scrupulos defenderunt eosque refutarunt, hoc ubique notissimum; adeo ut omnes qui virorum dictorum scripta legerint, observationesque eorum debita diligentia iterarint, corticem peruvianum non modo securum & innoxium, verum etiam securissimum efficacissimumque hucusque notum febrifugum deprædicent, necesse est.

Ad ulterius confirmandam hanc veritatem mihi semper erit occasio; jam vero solum effectus Corticis in diver-

- <sup>l)</sup> Tort. therap. special. it. resp. iatro apologeticæ. <sup>m)</sup> De noxiis Paludum effluviis. <sup>n)</sup> In propempt. ad diff. de re-  
eto Chinæ usu. <sup>o)</sup> China ch. ab inquis judiciis vindicata. <sup>p)</sup> Observ. de feribus. <sup>q)</sup> In Aphorismis. <sup>r)</sup> Comment. Boer-  
baav. aphor. p. 559. 563. <sup>s)</sup> In orat. de prax. med. rep. cer-  
titud. Frank. & Lips. 1746. <sup>t)</sup> Recueil de methodes. <sup>u)</sup> Hugeto λογια cap. VII. <sup>v)</sup> Syden. op.un. pag. 229, 230, 301 &c.  
<sup>w)</sup> In dissertatione de Cort. peruv. Lund. habita 1744.

diversis aliis morbis, præcipue vero eis, qui vel revera ad generationem febrium intermittentium aptam & necessariam materiam, vel aliam humorum corporis nostri degenerationem vel magnam partium solidarum atoniam vel utramque caussam habent, referam, quo Historicam hujus vegetabilis partem finiam.

## §. IV.

Ex morbis vero quorum sanatione Cortex peruvianus famam sibi acquisivit, jure meritoque Gangrænam primum nomino; crudelis enim hæc generis humani inimica, pretium ejus præ aliis exaltat, quia celeri ejus progressionе efficacissime resistit, eamque feliciter saepius <sup>x)</sup> tollit. Primus vero erat doctus expertusque Chirurgus Rusworth, qui insigni mentis acumine per illudque directis egregiis observationibus corticis ad inhibendum gangrænae progressum ex interna causa natum, utilitatem detegit in lucemque edidit <sup>y)</sup>. Experimenta postea Dn. Amyandus <sup>z)</sup>, Duglas <sup>a)</sup>, Shipton, <sup>b)</sup>, Goolden <sup>c)</sup>, Piesley <sup>d)</sup>, Wood <sup>e)</sup>, Professor Simson <sup>f)</sup>, Gibson <sup>g)</sup>, Calderj. <sup>b)</sup> & Celeb. Edenburg. Professor Monro <sup>k)</sup> reiterarunt, eventusque similes experientiam primi inventoris confirmarunt. Duglas <sup>l)</sup> Gibson <sup>m)</sup> & alii Corticem postea quoque in gangræna ex causa externa violenti producta exoptato cum effectu adhibuerunt. Experientiæ quoque dictæ stabilitæ fuerunt observationibus viri magni nominis lib. Baron. von Swieten, & in ipsa Svevia exempla non desunt quæ abunde hoc testantur. Sic novas per Corticem medicina sibi acquisivit vires, & tali modo

<sup>x)</sup> Wherlof obs. de feb. p. 332. <sup>y)</sup> A proposal for the improvement of surgeries p. 3. <sup>z)</sup> Act. Edinb. Tom. 2. p. 480. <sup>a)</sup> l. c. <sup>b)</sup> l. c. <sup>c)</sup> Acta Ed. Tom. 3. p. 38. <sup>d)</sup> l. c. <sup>e)</sup> Tom. IV. p. 62. <sup>f)</sup> l. c. <sup>g)</sup> l. c. <sup>h)</sup> l. c. <sup>k)</sup> e. p. 33. <sup>l)</sup> & <sup>m)</sup> Act. Ed. loc. cit.

modo generi humano utilior & veneratione adhuc dignior facta.

Epilepsia, non minor sanitatis ipsiusque vitae hominis adversaria, cortice pari modo saepius fuit debellata. Ipse parens meus ante duos annos puerum decem annos natum, epilepsia jam per biennium laborantem, sanandum obtinuit. Insultus epilepticos in morbi principio, intervallo trium mensium, postea uni, tunc septimanæ solum, tandemque in Nychtemero tribus vicibus miserime fuit perpeccus. Præmissis & interpositis aliis mediis necessariis Cortice feliciter sanatum vidi. Aliis quoque occasionibus & adhuc anno 1757. vidi dirissimas epilepsias cum tertiana conjunctas a patre meo eodem remedio feliciter fuisse superatas. Viri etiam isti supra omnes meas laudes positi van Swieten o) atque Tortus p) similes allegarunt experientias. Quantisque laudibus egregiis Wherlof q), doctissimus Tralles r), præclarissimus Allen s) aliique experientissimi viri in hoc periculi pleno morbo corticem efferunt, ex scriptis eorum liquet. Sicuti vero magnæ virtutis est Cortex in certis epilepsiae speciebus, sic etiam in aliis morbis convulsivis & spasmodicis, in affectibus soporosis & apoplecticis nec non in malo hypochondriaco & hysterico extensis præstigit effectus. t)

In certis hydropis speciebus præsertim ex febrium perversa curatione originem trahentibus, valde utile fuit & efficax remedium Cortex peruvianus u). In Phthisicis tabidisque morbis, ut phthisi ab Hæmoptoe & Hæmorrh-

Bgia

o) van Swiet. coment. in Boerb. Tom. 3. 187. p) Torti. th. sp. 426. q) Obj. de febr. p. 16. r) Exam. rigoros. cap. X. p. 151. s) Synop. med. pract. cap. 3. p. 148. t) Primit. physico med. Vol. 2. p. 476. u) Blegni remed. anglois p. 86. & Heister. in peculiar. diff.

glia egregii etiam Corticis sunt notati effectus. v)

Valere in Hæmorrhagia ipse vidi nuperrime A:o 1757 exemplum in femina honestissima, opem Patris mei implorante, quæ violentam uteri hæmorrhagiam aliaque gravia symptomata usu aliquot vicibus repetito pulveris d' Alhiau sibi acquisiverat, magna que cum voluptate mirandos fane Corticis vires animadverti in ægrota animam jam agente, mediante vero eo intra duarum septimanarum spatum sanata.

Esse usum ejus quam maxime proficuum in Vario-  
lis, Purpura chronica & aliis morbis exanthematicis, ex-  
perientia satis fuit testatum. y) & z)

Quamvis nonnulli Chinchonam in Scorbuto esse ma-  
gni ponderis remedium non crediderint, præclarus ta-  
men Hoffmannus a) & Lind b) laudes ejus valde ob-  
vim corroborantem & anteputredinosam verofimiles non  
denegarunt sed potius commendarunt.

Multa quoque adsunt Autorum testimonia Corticem  
esse salutarem magnique pretii in morbis Arthriticis c)  
& iis ex eodem genere d), nec non in doloribus periodi-  
cis e) variis generis.

Nec desunt qui opem ejus præclararam habent in Me-  
lancholia, cujus rei testes habemus in ipsa Suecia. f)

Pari ratione Cortex Dysenterias aliasque alvi fluxio-  
nes feliciter saepius profligavit.

Edocti quoque sumus experientia opem ejus non esse  
sper-

v) Morton phthysiol. cap. V. 96. & Wberlof p. 252. y)  
Morth. pyretol. pag. 121 & AÆT. Edinb. Tom. V. p. 122 z)  
Primitis physico med. Vol. 2. p. 271. a) Hoffman. Med.  
Systemat. Tomi IV. pars V. p. 31. b) Lind. traitó de  
Scorbut. Tom. I. p. 366. & Tom. 2. p. 187. c) Wberlof  
p. 54 & Miscellan. nat. curios. Cent. 3. obs. 4. p. 370. d)  
Miscel. n. cur. Dec. 3. an. 7. & 8. obs. 207. e) Mort. mu-  
cetologica 123. f) Rosén Diff. Lond. Got. p. 51.

Spernendam in multis malorum generibus a Vermibus originem trahentibus.

Ad emendandum minus laudabile Ucerum pus, Cortex pro remedio optimæ notæ habetur. b)

Sic Cortex peruvianus non solum in febribus intermittentibus, sed & variis aliis morbis ut utile, immo maxime utile remedium se manifestavit, si opportuno tempore, recta dosi, & justo ordine, secundum ægrotorum ipsorumque morborum conditionem, vel in tota substantia vel, aliqua ejus parte ope chemiæ separato, propinatur. De his vero omnibus in posterum plura loquar; jam vero historicam ejus partem finiens, parte secunda Criteria considerabo Corticis electi & differentiam ab aliis.

### CRITERIA CORTICIS SELECTI.

#### §. IV.

Hæc parte tam quod ope sensuum, quam Chemiæ, secundum exemplar Mortoni, Torti, Hoffmanni &c. quorum vestigia quoque sequutus est egregius vir Dn. Professor Eb. Rosén, in cortice animadverti, hec omnimode referam, quo proposito meo debite satisfaciam.

Novimus arborem, qui vestitur Cortice nostro, crescere vel in jugis montium, vel ad medianam eorum partem, vel ad radices. Hæc vilioris notæ; in acumine crescens mediocris; medianam vero partem occupans optimâ habetur. i) Hujus rei causa videtur hæc, quod nimis alte crescens calore ibidem immodico partibus suis quam maxime activis privatur, ad radices vero montium degens, nimia humiditate gravatur, quare medius optimus dici potest. Cortex e ramis desumta præfertur ei e truncō & minimorum ramulorum præstans est. Hispani cum radicibus erutam præferre dicuntur. Sunt etiam qui credunt partem arboris ad meridiem vergentem genuinum,

occidentalem vero & orientalem bonitate medium ; septentrionalem vero vilissimum praebere. In nostris Pharmacopoliis, qui adest Cortex peruvianus, tam e trunko, quam ramis & ramulis arborum est desumptus. Hic omnium consensu optimus habetur quia plurimis pollet partibus activis, quod tam effectus quam analysis chemica docuit. Quo vero eum a viliori sua specie, uti & ab aliis similitudinem cum eo habentibus, dignoscere possimus, sequentes primo ope sensuum concinnatae notæ valebunt.

1) *Colore* optimæ speciei differt a a) minus laudabilis, quod ille superficie sua externa scabra obscurus, fuscus vel cinereus sit, interiori vero Cinnamomi colorem referat, fractusque intus paulo palidior sit ; hic vero nigricans, flavus, pallidus, quasi politus, levis & spissus sit.

b) A *Cascarilla*, quæ exteriori superficie scabra est albicans, interiori vero cinerea fere & paulo obscurior ; fracta intus fere eandem Cinereum habet calorem quam superficies interna.

c) A *Cassia caryophyllata*. Hæc extus quasi est ferruginea, intus nigricans, fractaque eundem fere habet colorem.

2) *Odore* pollet optima species peculiariter mucido, unde ab aliis dignoscitur, qui est vel fœtitus vel putridus, cariosus, vel plane inodus. Combustus quoque Cortex acrem habet odorem namque valde sufficientem. Differt b) a *Cascarilla*, quæ odore magis est fragrans & combusta aromatico. c) *Cassia vero caryophyllata* facile suo caryophyllaceo distinguitur odore.

3) *Sapore* China china præferenda est, quæ illum habet ex acri & amaro leniter aromaticum mucidum, sine austera acerbitate tamen adstringentem. Styptica ergo, acerba, insipida & a specifico sapore aliena, rejicitur. b) *Cascarilla* saporem habet magis acrem, minus adstringentem

tem & longe aliter amarum & c) Cassia caryoph. quæ si recens satis perspicuo sapore cariophyllaceo satis distinguitur & impetuose adstringenti; si vero oleo jam ad partem est privata, saporem habet debiliter amarum & valde aromaticum.

4) Tacu. Manibus tentata China China optima quæ frangitur, longe ei præfertur quæ in fibras lignosas discerpitur. Quæ vero fracta, puncta habet soli expedita splendescientia, præstans habetur. Dentibus masticata debet esse friabilis, non vero tenax. Differt hac ratione a) A Cascarilla, quæ quidem potius frangitur quam ut in fibras discerperetur lignosas, sed satis tamen est tenax, quia gummi habet fere glutinosum unde partes eo firmius cohærent, quod facile in ejus fractione & trituratione observatur. b) De Cassia caryophyllata idem valet. Præ densiori China laudatur tenuior, fat tamen gravis & mediocriter crassa. Cascarilla levior Chinchina, ut & cassia caryoph. valde tenuis. l)

### §. V.

Quemadmodum vero Corticem peruv. optimæ nocte tam a viliori sua specie, quam ab aliis *similibus* sola sensuum ope dignoscere possumus; sic etiam differentia apparet instituta analysi chemica, quod multa virorum præclarorum in hunc finem factæ observationes demonstrarunt, quarum nonnullas hec allegare necesse habeo. Sic enim

*Neumannus* ex Libra Corticis peruv. obtinuit drachmas decem & scrupulos duos Extracti resinosi primi & Drachmas sex gummosi secundi; vice versa, drachmas sex & scrupulum unum aquosi primi & drachmas sex resinosi secundi. Destillata libra Cort. peruv. drachmas tres spir. acidi, drachmasque duas olei empyrevmatici impetravit, remanente in fundo terra, maximam partem in i-

l) Wherlof Obs. p. 85. & Morton. πυρετολογια p. 172.

gne avolante. Combusta Cort. p. libra remansit uncia dimidia Cineris, ex qua elutriato sale drachmarum duarum, lixivium calcinatum dedit scrupulos duos salis alcalini. m)

Lemery ex corticis Chinæ Chinæ unciis triginta duo destillatis extraxit uncias undecim spiritus & flegmatis acidi, uncias duas & dimiam olei fetidi & drachmas duas salis alcalini fixi: n)

Cartheuser ex Uncia Chinæ chinæ obtinuit scrupulos duos & gr. XII. Ext. resin. pr. & gr. XXVI. aquosi primi. Oleum essential fere omnino deficere dicit. o)

Geoffroi s. ex Unciis quatuor & dimidia Cort. p. destillatis sibi comparavit Unciam drachmas quatuor & dimidiam flegmatis acidi, cujus partes priores simplici acido, posteriores vero non modo violento, sed etiam alcali urinoso similes fuerunt. Tincturam enim Tournesolis ad rubrum reduxit colorem. Postea drachma una gr. XVIII. olei crassi egressa fuit. Materia nigra in vase residua pondus habuit Unciæ unæ, drachmarum duarum & gr. VIII. Calcinatione facta pondus ad gr. XV. fuit diminutum, unde per lixivium profecta est semi-drachma salis non mere alcalini, sed ut vocat salsi. Dicit porro Godofredus hic, ex combinatione salis acidi cum partibus oleosis in Cortice oriri resinam, que quartam fere ejus efficit partem. p)

Geoffroi j. Ex Drachma cortic. p. pulver. & ope balnei mariae cum Sp. V. digesta & evaporata gr. XX.  $\frac{1}{2}$  Extr. res. pr. obtinuit. Extractum secundum gummeo salinum erat gr. III.  $\frac{1}{2}$ . Vice versa infudit drachmam Chinæ pulvrisatæ per 24. horas cum aqua bullente & gr. XI. Ext. gum. pr. fuerunt egressa; ope Sp. V. residuo affuso habuit gr. III. Ext. res. secundi. q) §. VI,

m) Neumann. p̄. clect. chem. p. 812. n) Lemery Cours de Chymie pars 2. p. 40. o) Cortheus. fund. mat. med. p. 487. p) Matiere medicale Tom 2. p. 317. q) Histoire de l' acad. royale 1733. p: 205.

## §. VI.

Quamvis vero temptationum harum eventus satis fuerit dissimilis dum proportione considerata, quantitas extracti ref. pr. Neumanni sit ad Cartheuseri ref. pr. :: 40, 39, Neumanni vero aquosi p. ad Carth. :: 15 : 13, Neuman. ref. primis ad Geoff. sen. ref. pr. fere :: 4, 9, Neum. aquosi primi ad Geoffroi s. aqu. pr. :: 19 : 96, Neum. ref. p. ad Geoffroi j. ref. pr. :: 1 : 3, Neum. aquosi secundi ad Geoffroi j. aq. sec. ut 15 : 14. Neumanni refin. sec. ad Geoffroi j. ref. s. :: 5 : 4. Cartheus. ref. pr. ad Geoffroi senioris Ext. ref. primum :: 13 : 30, Cartheuseri aqu. pr. ad Geoffroi s. aquos. pr. :: 13 : 80, Cartheus. ref. pr. ad Geoff j. refin. pr. :: 13 : 41. Geoffroi sen. ad jun. Extr. refin. pr. :: 30 : 41; ex ipsis satis tamen patet, Chinchinam consistere ex partibus gummosis, resinosis, oleosis, salinis & terra quadam. Quæ vero destillatione & alias vi ignis ex illa obtinentur, non ut veræ partes constitutivæ, ut optime monuit doctissimus Lemmery, r) considerantur, sed potius pro productis partium vi separatarum, quibus nec totius substantiæ vis, nec partis alicujus inhæret, quare hæc analysis nullius haberi potest momenti, quia nullum in medicina partes ita separatæ habent usum. Interim videtur differentiam supra mentionatam ortam fuisse vel ab ipsa Corticis diversa conditione vel diverso modo procedendi. Si ad perfectiore ergo partium constitutivarum Chinæ Chinæ cognitionem pervenire cupimus, regulas a Doctiss. Domino Professore Rosen in Differt. Lund. habita præscriptas sequamur necesse est: Nempe ut referamus, 1) quale & qualis fuerit quantitas menstrui adhibiti in analysi instituta, diversitatem aquæ, vini vel Spirit. Vin. 2) Tempus anni. 3) pondus atmosphæræ. 4) vas clausum vel apertum. 5) coctionis intensitatem, durationem & plura. His regulis

r) Lemery cours de chymie p. 2. pag. 39.

gulis ergo conforme, quo partes Chinæ constitutivas ipse viderem, analysin ejus, methodo simplici, naturæ conformi & ad usum medicum necessaria, coctione nempe cum aqua & infusione cum Sp. Vini institui. Semper enim anno præterito 1757. tempore autumni, cœlo ad maximam partem nebuloso Uncias quatuor Chinæ Chinæ secundum omnia criteria sensualia selectæ; has tribus vicibus, quacunque vice semihora, & cum Unciis quadraginta quatuor aquæ fluvialis fortissime, vase aperto coxi usque dum colatura totius summae ad Uncias quinquaginta erat redacta. Hæc erat coloris ex albo rubicundi (quod nota est Cort. optim.) & residuum saporis satis adhuc amari pondus habebat Unciarum duarum, drachmarum sex & dimidiæ. Decoctum hoc postea leni calore evaporavi, drachmas novem & dimidiæ Extracti gummofisi primi i saporis valde amari & coloris nigricantis accepi. Residuum terreum jam dictum, per 8 dierum spatiū cum libris duobus Sp. Vini rectific. infudi, postea evaporavi & obtinui drachmas duas & dimidiæ Extr. resinosi amariuscui & paulo aromatici odoris, coloris vero fusci. Residuum decem drachmarum per nonnullos posthiæc iterum dies cum Sp. V. rect. extraxi, facta vero præcipitatione nullam impetravi Resinam, quamvis Sp. colore rubro erat tinctus. Quæ heic in pondere desiderantur partim in filtro, partim in vase & evaporatione sunt amissa. Vice versa quoque unciam unam Chinæ selectæ cum Spir. Vin. per quatuor dies, nulla præmissa coctione, infudi & facta evaporatione drachmæ tres fere remanserunt Extracti res. primi, odoris fragrantis & jucundi, saporisque Ext. gummof. pr. longe amrioris. Residuum Corticis cum libra una aquæ fluvialis per 2 horas fortissime fuit coctum & facta inspissatione obtinui drachmam unam granaq; decem Ext. aquos, secundi mediocriter amari. Residuum quatuor drachmarum omni sapore erat priva-

privatum, Quo vero certiorem me facerem anne Gumi esset purum vel Resina mixtum, per diversos dies Unciam unam Ext. gummos. pr. loco calido cum aqua digesi, quo tempore drachmæ due & grana viginti sex erant præcipitata, quæ adeconsistentiam redacta, resinæ non multo erant dissimiles ; Reliqua in aqua soluta erant. Ext. ref. pr. drachmam unam pari modo cum aqua, caliditatem fere sanguinis humani habente, per 6 dies digesti, quo tempore pondus ad grana quinque in aqua haec soluta erat diminutum, quæ tamen loco frigido exposita iterum præcipitabantur. Sapor vero valde amarus resinæ & odor aromaticus hac digestione satis erant diminuta. Ex quo patet Cartheuserum recte de China prædicasse, substantiam resinosa cum gummosa intime combinatam esse & cohærere & neutram extractione vel cum aqua vel vino & Sp. V. perfecte puram obtineri.

## §. VII.

Quanta vero erat illa differentia Corticis peruviani ab aliis similibus, quam ope sensuum cognoscere possumus, (§. 4.) tanta fere quoque est discrepantia ratione partium constitutivarum ejus & aliorum. Extr. enim ref. quantitas semper superat eam Cascarillæ & aliorum Corticum similium quantitatem. Extracto quidem aquoso præ China abundat Cascarilla secundum Neumannum, ego vero numquam ex hoc Cortice tantum extrahere potui, quamquam ter experimenta eandem ob rem instituezim. Oleum porro essentiale deficit in China, quod in Cascarilla reperitur. Refert enim Neumannus s) ex Libra una. Cort. Cascarillæ se fere drachmam olei obtinuisse & ex libra una Cascarillæ uncias sex Ext. aquosi pr. & unciam unam, drachmas quinque, scrupulosq; duos resin. secundi. Vice versa ex Unciis duabus & dimidia, scrupulum unum. resinosi primi & Uncias duas & dimidiain.

C

quos.

s) Neuman. prælect. chym. p. 811.

quos. secundi ex libra una vero igne aperto destillata uncias duas & dimidiā Olei empyreumatici & ex eadem Corticis quantitate combusta drachmas decem Cineris.

*Cartheus* simili modo ex libra una Corticis cascarillae destillata drachmam unam habuit olei essentialis, ex uncia una vero drachmas duas scrupul. duos Extr. a quosī pr. & resinosi pr. ex uncia drachmas duas & scrupulum. Ex cassiae cariophyllatæ libra vix drachmam unam Extr. ref. & scrupulum dimidium gummosi secundi impetravit. Secundum ejus opinionem oleum essentialie deficit. t) & u)

Ex Uncia Corticis cascarillæ drachmas duas & dimidiā Extr. gummosi pr. & scrupulos duos resin. secundi, Ex Cassia car. vero uncia, grana viginti octo Ext. gum. pr., & resinosi secundi grana viginti quatuor extrahi posse, expertus novi.

### MODUS OPERANDI GENERALIS.

#### §. VIII.

Ulterius naturam horum pharmacorum quidem ob defectum occasionis indagare non potui. Si hæc mihi fuisset, sal præsertim essentialie a Nobilissimo Archiatro regio & equiti de stella polari, de nostraque Academia præcipue de facultate medica meritissimo Dn. Professore Rosén, meo quondam præceptore fidelissimo, in Suecia per nonnullos annos usurpatum e Cortice peruviano extrahere voluerim, quo viderem qua copia in ipso detur. Spero vero tempus & occasionem in posterum magis mihi favere, foreque ut me ad perfectiorem partium constitutivarum Corticis cognitionem viriumque unius cuiusvis speciatim conducant atque viam ostendant. Interim methodus præparandi hujus salis, quam in *Chemia hydraulica* 1755. parisiis in oct. impressa, tradidit Comes

t) *Cartheus. fundm. m. p. 165.* u) *Cartheus. l. I. p. 187.*

mes de la Garaye mihi non est ignotus. Novi etiam Godofredum in actis academiae scientiar. Par. 1749. Sal hoc pro subtili extracto resinoso habere. Comes de la Garaye hoc, aliaque vegetabilium salia essentialia post debitam vegetabilium cum aqua infusionem, triturando, preparandum esse, dicit; quæ tamen methodus nimium videtur molestia. Hodie per coctionem & inspissationem in orbi argilleo (*porfelin-taldrick*) perficitur.

Jam vero ordini præscripto convenienter ulterius progredior, pro facultate mea generaliter demonstratus quomodo in corpore humano vivo agat Cortex, quo post hæc utilitatem & damnum secundum modum vel in febris vel aliis morbis applicandi ejus, recte distinque deducere possim.

Sicuti vero actiones duarum rerum ad se invicem, quorum unum sensus nostros plane effugit, a priori prorsus deduci non possunt, & omnia quæ hac de re de Kinkina dicti possunt, quia vero indoles naturaque causæ materialis seu fermenti febrium, nec non eorum morborum qui Cortice peruviano feliciter sanantur, nobis fere adhuc est incognitus, solummodo a posteriori sive ex effectibus in corpus nostrum, & actiones speciatim vitales, naturales, & animales productis erunt deducenda. Et hanc viam ad propositum meum implendum ingrediar, vitium eorum eo certius evitaturus, qui subtilissimis figmentis & conjectationibus ingeniosis has actiones demonstrare voluerunt, quæ tamen ex phænomenis foliis explicari possunt. Quo vero a proposito eo minus aberrem, diversa tentamina Cortice tam proprio, quam aliis corporibus instiui, multaque cum industria mutationes in eis post Corticis usum factas annotavi & observavi. Sequenti vero modo procedebam. Sumsi nempe in os granum unum Extract. aquosi primi corticis, post meridie hora 4. 16. min. quod tamdiu in lingua habui, donec omnino a saliva solutum fuit. Extracto a lympha salivali liquefacto, sta-

tim consuetum saporem amarum corticis cum sensatione le-  
 niter adstringenti percepi in dorso lingvæ, palato & tandem  
 cum solutum deglutirem in faucibus. Extractum hora  
 5 plenarie erat solutum, amarities vero & perceptio di-  
 cta, primis hujus temporis intervalli minutis 44 nempe,  
 ad finem usque tentaminis mihi non videbatur mutata,  
 sed potius sibi semper simili; eam tamen palati quam  
 tangebat partem Extractum, quia in dorso lingvæ habe-  
 bam, tandem aridam sensi. Sapor amarus sensatioque an-  
 te dicta lene adstrictoria, post plenariam Extracti liquefa-  
 tionem 5 circiter minutis, eadem intensitate durabant,  
 successive postea remittebant; integra tamen hora post,  
 quamvis debilius sensations has dictas percepit. Percep-  
 tionem hanc adstringentem alia quoque mutatio, aucta,  
 nempe liquoris salivalis secretio comitabatur, ut liqui-  
 dum illud saepius deglutire coactus essem. Hæc cum  
 sensatione adstrictiva idem habuit initium eademque ra-  
 tione aucta fuit, Extracto vero soluto cessavit ad natura-  
 lem ante ejus assumptionem statum, restituta. Punctum  
 dictum palati ad horam 5 ½ erat siccum. Sequenti die ho-  
 ra 5 27 min. post meridiem simili modo granum unum  
 Extr. spirituosi primæ præparationis sive resinæ ad lin-  
 gvat admovi & pari cum eo ratione, quam cum gum-  
 moso procedebam. Amarus Corticis sapor multo heic  
 erat jucundior & magis aromaticus, resina vero palato  
 statim adhærebat, quando lingvat ei admovebam, saliva  
 vero emollita remittebat. Vis constrictoria, intensior se-  
 cretio vero lymphæ salivalis copiosior mihi videbatur.  
 Phænomena hæc cum sapore amaro-aromatico non solum  
 ad plenariam resinæ dissolutionem & cum saliva deglu-  
 titionem, quæ hora 6 59 min. sequebatur, verum etiam 28  
 minut. post duravit. Hora 7. 27. minutis lymphæ sali-  
 valis secretio naturali iterum procedebat ordine. Amara  
 vero & adstringens sensatio ad horam circiter 8 continu-  
 abat

abat antequam omnimoda succederet remissio. Sequenti die p. m. hora 7 11 min. pari ratione corticem pulverisat. investigare coepi. Grana quatuor ejus sumsi, quæ lingvæ vix admota, statim saporem amarum sensationemque adstrictivam satis manifestabant & extractorum amaritatem & vim adstringentem multo superabant. Hora 7. 30 min. omnes pulveris activæ partes jam erant solutæ, reliquum masticatione plane insipidum animadvertisi. Secretio salivæ per diversa ejus organa amaritiei & adstrictioni erat proportionata, consequenter multo copiosior quam occasione extractorum: Hora 8. 50 min. naturalis hujus humoris secretio iterum erat restituta & non multo post hora 9 sapor amarus & vis adstrictoria cessabant, quamvis dorsum lingvæ, palatum & fauces sati erant sicci.

Die p. mane hora 10. 39 min. granum unum salis effentialis corticis, methodo Nobilissimi & Celeb. Arch. Rosén parati, in os sumsi, quod statim a saliva adgressum intra 3 minutorum spatium erat solutum. Sal hoc saporem habebat resinæ primæ præparationis hujus pharmaci, ut illa palato adhærebat secretionemque efficiebat auctam lymphæ salivalis. Effectus hic & jam dictæ aliæ proprietates longe minori gradu heic aderant; Sapor enim amarus hora XI. prorsus cessabat, secretio vero aucta salivæ ad horam 11 & 4 min. durabat. Salsum hoc sal gustum lingvæ non imprimebat, aliis quibus dedit, nec alium quam lene amarieantem in eo animadvertere potuerunt. Videtur ergo hoc Sal esse purum amarum, quod vero non majorem cum aliis sic dictis salibus amaris E. G. Seidliensi vel Centaureæ min. habet similitudinem ratione saporis, quam convenientiam coloris aliorumque proprietatum.

Die f. vespera hora 7. 46 min. similiter tentamen cum grano Extr. ref. secundi institui; saporem vero amarum

marum sensationemque adstrictivam & secretionem autem liquoris salivalis minori gradu, quam in antecedentibus percepit. Hora 8. 25 min. a saliva plane erat soluta, anteque horam 9 omnes ejus cessabant effectus. Die p. post m. hora 4. 55. min. granum unum Extr. gum. sec. sumsi v. hora 5. 10. min. a saliva erat liquefactum. Hora 5. 26. min. secretio liquidi salivalis debito iterum procedebat ordine & hora circiter 9 omnis jam cessaverat amarities & sensatio adstrictoria.

Omnis has substantias postea dupla quantitate adhibuit & effectus antea narrati semper eorum respondebant quantitati: Cortex vero Chinæ in substantia pulv. ad grana duodecim adhibitus, os tali modo constrixit, ut vix sustinere possem, donec a Saliva partes activæ ejus solutæ elementumque terreum ejus insipidum esset relatum. Curiositas tamen omnem movit lapidem, ut tentamen recte finire possem. Primo valde augebatur salivæ secretio, non vero tali proportione, quam, antea sed breviori tempore diminuebatur. Præternaturalem deinde percepit in lingua, faucibus, præcipue labiis oris, palatoque calorem. Amarus sapor perceptioque adstrictiva longius heic durabat, nec ante horas 2 $\frac{1}{2}$  finitas cessabant. Deglutitio salivæ, quæ Corticem solverat maximam, in hoc tentamine afferebat molestiam. Pharynx enim eo quasi clausus videbatur, resistentiamque exercebat sat perspicuum. Extracta corticis ad grana tria sumta aliud effectum non edunt, quam massæ ponderis eorum secundum priora tentamina proportionatum. Præternaturalis vero calor cum siccitate nonnulla partium adgesiarum post solutionem eorum percipiebatur. Alio tempore Decoctum corticis & Infusum vinorum tamdiu, quam fieri potuit, ore habui. Hoc os valde calefecit; alias eosdem quam a cortice pulverisato animadverti effectus. Illud vero os fere magis pulvere adstrixit, omnia alia erant eadem.

Quo

Quo vero actiones quoque Corticis ejusdemque  
præparatorum in aliis experirer subjectis, similes meis  
tentationibus amicos nonnullos cum eo ex ipsoque extra-  
ctis instituendos persuasi. Primus qui mihi gratificabatur  
erat Vir quinquagenarius temperamenti sanguineo-cho-  
lerici & prosperæ admodum valetudinis. Ille post mer-  
hora 4 grana Corticis pulverisati sumvit per totumque os  
duxit. Salivæ vix admixta, statim consuetum saporem  
amarum & adstringentem percepit cum paulo majori sa-  
livæ affluxu. Sapidis omnibus & activis partibus Cortex  
jam hora 4. 20. min. erat privatus, quo intrepidum & in-  
utile ore ejiciebatur. Minutis circiter 3 post secretio ces-  
sabat aucta salivæ, os vero hora 5 siccum valde & præ-  
ter naturam calidum præcipue ad labia, margines lingvæ  
faucesque fuerat. Certiore me fecit ille Vir, se solu-  
tum cum degluterat, sensationem sibi valde molestam  
adstrictoriamque in faucibus & pharynge percepisse.  
Porro retulit saporem amarum constrictoriamque sensatio-  
nem ad horam 6 perdurasse, quod Phænomenon in fine  
observationis tanta vi in labia egerat, ut nisi cum mole-  
stia moveri non potuerint. Hora ad 7 vergente interna  
oris superficies tandem humida iterum, aliasque omnia in  
hac cavitate naturali fuerant statu.

Idem Vir die sequenti hora 7 grj. Ext. ref. pr.  
sumvit, quod dimidiæ horæ spatio perlapso erat solutum.  
Non multo post hora 7. 26. min. non valde auctum sa-  
livæ notavit adfluxum, eo vero majorem tunicae fauces  
internamque oris cavitatem vestientis constrictionem.  
Plenaria extracti solutione facta, sapor amarus magis se  
manifestavit, paulo post vero successive decrevit, hora  
 $8\frac{1}{2}$  penitus cessavit. In hoc vero tentamine, pari ratio-  
ne ac in priori, post horam 8 in consuetam oris, labio-  
rum, palati, marginumque lingvæ percepit calorem  
siccitatemque, quæ hora 9 evanuerunt.

Die

Die sequenti grj. Extr. gummosi pr. prehendit, quod solutione absoluta præter amaritatem sensationemque fatis adstrictoriam mutationes alias novas non produxit, horis  $\frac{1}{4}$  hæc quoque dicta phænomena cessarunt.

A grj Salis essentialis adhibito saporem non ingratum amarum per horæ spatum, & paulo auctam salivæ secretionem per  $\frac{1}{4}$  horæ animadvertisit, quibus mutationibus & hæc phænomena finem consecuta fuerunt.

Secundus qui mecum instituit experimenta erat Juvenis 18 annorum temperamenti sanguineo phlegmatici & sanitatis prosperæ. Adhibitis ab eo gr. iv Corticis Chinæ pulveris atque hora 3. 55. min. p. m. lingvæque admotis, statim solutum saporem amarum inconsuetamque tunicae internam oris cavitatem vestientis constrictionem, secretionemque auctam salivæ observavit. Hora 4. 5. min. insipidus, omnique vi jam erat privatus pulvis, quare deglutiebatur. Os vero ipsum postea quasi siccum fuit, quod semper augebatur, nec cum sapore amaro, rigiditate præter naturali, quod amicus meus ille a hora 4 in labiis, margine lingvæ, palato & faucibus sentiverat, quam hora sexta finem consecutum fuit.

Sequenti die ant. meridiem hora 4 ipfissimus ille vir juvenis gvj Extr. ref. pr. ore sumfit. Intra 3 min. spatum plane erat solutum. Sensatio adstrictiva erat mediocris, secretio lymphæ salivalis ei proportionata. Ambo phænomena cum sapore non ingrato amaro ad horam fere 12 perduraverunt. Seq. die a m. hora 9 grj Extr. gumm. pr. simili modo ab eo fuit tentatum. 4 min. saliva liqueficerat, sapor amarus &c. majori quam a resina heic videbantur adesse gradu; posteriora vero duo phænomena breviori tempore evanescebant; hora enim  $10\frac{1}{2}$  cessarunt. Sapor vero amarus lenisque siccitas palati, marginum lingvæ, labiorumque, quod hora  $10\frac{1}{2}$  se manifestavit, persistebat ad horam fere 12.

Extr.

Extr. gum. secund. & resinos. sec. simili modo tentamina talia perpesta fuerunt. Eadem phænomena gradu minori & breviori tempore, quam priora produxerunt.

## §. IX.

Tentaminibus quidem his ulterius fuisse progressus, quo observata proposito meo eo melius applicari potuissent; occasio vero mihi defuit, quare commoda ex ipsis sequentia missa faciens ad tempus magis idoneum hoc differre coactus fui. Si vero totam eorum in compendio consideramus summam, sequitur **Corticem** in substantia adhibitum, efficacius agere quam Decocta, quæ non multo sunt inferiora. Extracta vero ratione priorum minus considerabilem habent agendi vim & Sal essentialie omnibus his est inferius. Sale lixivioso nulla hujus modi experimenta institui, quia naturaliter cortici inesse affirmare non possumus, sed potius esse productum artis, quod vim aliis salibus alcalinis superiorum habere non videtur. Ex observatis *speciatim* sequitur.

1) Omnes corticis ipsiusque Extractorum & salis essentialis partes activas, per salivam lymphamque oris plane dissolvi, partesque intime combinari, ut novum inde oriatur compositum.

2) Statim ad dissolutionem combinationemque dictis cum humoribus initio facto, fibras ex quarum textura oritur tunica cavitatem oris, lingvam, fauces pharyngemque vestiens, nec non inter eam dispersas fibrillas nerveas ad vividores & auctas actiones irritari.

3) Secretio oritur salivæ & lymphæ oris huic actioni proportionate aucta.

4) Mutationes hæ Not. 2. & 3 ad plenariam vel corticis ipsius vel Extractorum vel Salis essentialis solutionem persistunt.

5) Tunc N. 3. dicta mutatio, aucta nempe salivæ secretio, successive diminuitur & tandem successive deficit,

nit, tali modo ut magis vel minus considerabilis oris ficitas, fibrarumque cutis ejus rigiditas &c. quæ majori vel minori activitati rei asluntæ vel sensibilitate subjecti convenit, inde ad tempus sequatur.

6) Hæc vero mutatio a se ipso cessat in ore que oritur talis status qualis fuerat ante Chinam assumtam. Heic monendum neminem durante observationis tempore ullum adhibuisse humidum; quare effectus accurate observari potuerunt.

### §. X.

Quo vero ulterius mutationes a Cortice in corpore productas experirer, simul cum amicis meis antea di-  
ctis eum per nonnullos dies in substantia, Decocto, Ex-  
tractis, & sale essentiali interno usui eum in finem adhi-  
buimus. Pulvere experimentorem initium fecimus,  
quod Vir ille quinquagenarius, Juvenis, atque ego ipse,  
mane, ante meridiem hora XI, post meridiem hora V,  
per quinque dierum spatium ad scrupulum & ad scrupu-  
lum unum & dimidium quacunque vice adhibuimus; fra-  
ter vero meus, puer 12 annorum, tempore dicto gr. XV.  
semper usus fuit. Vir quinquagenarius & ego duabus  
primis diebus, tempore circiter meridiei, in stomacho pres-  
sionem, in orificiis vero præsertim superiori constrictio-  
nem animadvertisimus, qua paulo difficilior facta respi-  
rato; in ipso vero pectore nulla sensibilis aderat mutatio;  
sensationes hæc duæ præternaturales post prandium ces-  
sabant, hora vero sexta pulveris usu repetito erant redu-  
ces, ad horamque 7 & 8 perseverabant. Diebus tribus  
postea sensationes has non percepimus, forsan quia sta-  
tim post adsumtum pulverisatum corticem aquæ coctæ  
nonnullas mensuras bibimus, quod primis diebus erat in-  
termissum, qua pulvis magis in ventriculo fuit dilutus  
& ubique æqualiter dispersus. Alter amicorum meo-  
rum & frater meus phænomena hæc non percepserunt,  
forte

forte quia fibræ ventriculorum eorum tanta non gaudent sensibilitate, nec non quia secretio lymphæ gastricæ majori quantitate procedebat, quam in nostro corpore; quare æquilibrium in fibris ventriculi cuius malam conditionem causam habent 2 hæc phænomena, in ipsis fuit immobile. Vir 50. & ego post assumtum hoc Pharmacum, primis 3 diebus præter dictas nullam aliam animadversi fuimus mutationem, quam pulsus quandam elevationem, qui ei per min. 70. & 71. mihi vero semper 70. tam ante quam post assumtam chinam erat. Ille vero die quarto alvum deponendi primo difficultatem & postea obstructionem plenarium ejus, uti & oppressionem in pectori animadvertisit, quæ phænomena die octavo & consequenter 3 diebus post usum chinæ finitum sponte sua cessabant. Dn. W. pulsum per chinchinam, qui antea in minuto ei erat 60 ad 70 & ergo 10 ictus auctum percipit. In fratre meo vero a 90 ad 110 & ergo 20 ictus auctus fuit. Mutationes hæc nominatae ad vesperam dicto modo in nobis omnibus persisterunt; postea vero die seq. mane numerus consuetus pulsuum 70 & 71, 80, 60 & 90 aderat; pulsus vero robur in dies magis magisque augeri videbatur. D. W. juxta auctum robur quantitatemque pulsuum respirationem etiam intensiorem percepit, ambo vero actus præcipue inspirationem quadam cum molestia succedere videbatur. Anne symptoma hoc sola fuerit consequentia circulationis auctæ vel spasmorū orificiorum ventriculi & consequenter æquilibrii stomachi illorumque viscerum sublati, vel nervorum diaphragmatis vel cordis ipsius heic adhuc non erit decidendum. Alias nullas in actionibus animalibus, in naturalibus vero plane nullas, excepto viro quinquagenario, experti fuimus mutationes. Diebus tamen quibus assumsimus, nec non per non-nulos dies post, majorem roboris gradum functionumque alacritatem nos consecutos fuisse videbatur. Deco-

Eti deinde **Corticis** ego unciam unam & frater unc. di-  
mid. quotidie per nonnullos dies assument, unde omnes  
**supra dictas prærogativas**, nullam vero observamus mole-  
stiam. Extracta simili modo per diversos dies quotidie 3  
vicibus adhibui, primo ad gr. XII. postea gr. XX. ab iis-  
demque omnes, quam a Decocto, quamvis minori gradu  
observavi effectus. Sal essentiale ad gr. XX. assumptum  
præter elevationem pulsus parum sensibilem nihil aliud  
produxit.

## §, XI.

In ægrotis præcipue, qui præterito anno, initio au-  
tumnī, febre tertiana epidemica laborabant, sequentes  
observavi post usum Chinæ, mutationes.

1) In pulsu, numerum pulsuum diminui, robur ve-  
ro eorum magis augeri. Cum enim numerarem sub  
frigore febris pulsationes in nonnullis 96, in aliis 100,  
106 & 110, sub calore vero 100, 106, 110 usque ad 126,  
tandemque in ultimo stadio seu tempore criseos principio,  
**supra dictam** numerum hunc, qui tamen successive de-  
crevit, donec paroxysmus 90, 96 erat finitus; diebus  
vero intercalaribus hora post omnem lectus calorem  
jam amissum, 90, aliis 94-96-98, raro centum; post  
Chinam vero assumentam, 65, 70-76-80 & raro 90 pulsationes,  
patet, quanta fuerit mutatio in corde arteria-  
rumque systemate per corticem producta. (Deadultis  
vero heic loquor, in pueris enim & infantibus secus res  
se habet.) Nonnulla quidem heic adest discrepantia cum  
observationibus a Celeb. Haller de numero pulsuum fe-  
bre laborantibus factis, hoc vero climati, victus ratione  
& aliis circumstantiis erit adscribendum.

2) Appetitum observavi auctum jam in nonnullis  
uno die post usum Chinæ, qui tamdiu perduravit, quam  
ad plenariam febris curationem Cortex fuit continuatus.  
**Alios** vidi quibus non tam cito succedebat, tamen ad fi-  
nitum

nitum Corticis usum perduravit; & alios adhuc ubi appetitus quamvis per tempus aliquod per Chinam fuerit excitatus, tamen post nonnullos dies diminutus, ut & aliquando in plenariam anorexiā permutatus sit. Phænomenon vero hoc posterius in iis solum animadverti, qui Cortice usi fuerant antequam debite purgatae primæ viæ & mucus in ipsis sangvineque hærens resolutus atque mobilis factus, materiæque morbosæ coctio perfecta esset. Non tamen negaverim aliam quoque quandam malam corporum horum subjectorum conditio nem, dictorum aliorumque cum iis combinatorum Phænomenorum fuisse caussam sociam.

3) Excretiones naturales multo mutatas & quidem.

a) Urinæ majori enim quam antea copia 1) ejus succedebat secretio. 2) Color fuit permutatus a fulvo vel intense rubro vel pallido, quod tamen raro vidi, in colorem Corticis citri magis vel minus appropinquans. 3) Clara & pellucida inde facta est urina cum nubecula majori vel minori, quando post paroxysmum febris vel turbida mucoque bilioso mixta vel sedimento lateritio erat prædita.

b) Excretionis cuticularis. Cum enim ea diebus intercalaribus vel plenarie vel maximam ad partem fuerit suppressa, vel & minimo etiam caloris gradu eam ultimi stadii æquabat, successive correctam ad naturalemque ordinem redactam observavi.

c) Excretionis alvinæ. Ea enim vel nimia vel suppressa a Cortice ad naturalem ordinem fuit redacta.

Effectus ergo hucusque dicti corticis non solum in sano, verum etiam in morbosæ corporis statu observantur; quamvis satis jam pateat, per usum ejus hoc casu diversas alias quoque oriri mutationes. Non vero est hujus loci veritatem hanc explanare uberioris, morbos vero, quos ut efficacissimum & certissimum remedium profigat

China

China consideraturus, ulterius hoc demonstrare conabbor; heic vero solum quod experientia docuit annotare volui.

## §. XII.

Ex his vero omnibus clarum est & perspicuum, pharmacum nostrum partesque ope chemiae ex ipse extractas, in subjectis diversæ ætatis & conditionis, eosdem plane experiri mutationes in iisdemque omnibus eodem rursus producere effectus, omnemque in hoc casu discrepantiam vel in majori vel minori actionis intensitate vel longiori vel minus longa duratione consistere. Neminem vero jam fugiet, Corticem corpori vel una vel alia forma admotum, in partes duas principales ejus solida nempe & fluida agere. Agit vero in solidas mobiles partes instar stimulantium & corroborantium, quia post ejus applicationem, & dissolutionem actiones eorum fiunt vegetiores & alacriores, & effectus proportionate augentur, cohæsio vero fibrarum eorum postea auctior, actioque in initio fortior, in fine minor & quod ab ea ratione secretionis lymphæ dependet, sequatur, quæ tamen circumstantiæ posteriores sponte sua cessant, partesque ad pristinum ante Chinæ applicationem statum, quamvis multo melioratas restituunt. Jure ergo meritoque, uti ex antea dictis sequitur, cortex consideratur & declaratur ut remedium vere stimulans & roborans, quod debite adhibitum post ejus operationem, nec nimiam partium firmarum cohesionem vel rigiditatem, nec eorum atoniam vel debilitatem relinquit. In fluidas vero corporis nostri partes agit partem *immediate*, quia a saliva & sic ab omnibus humoribus ei similibus plane dissolvitur, consequenter cum illis chyloque mixtum in sanguinem, cum sanguine vero intime combinatur, respectu nempe principii balsamici, quod omni probabilitati convenienter saltim ad partem in naturam humorum nostrorum

rum

rum permutatur & tali modo ad reparationem circulatione consumtorum a natura simul cum succo nutritio ex chylo confecto, mixtum, corpori applicatur. *Mediate* vero in fluida agit per solida, quorum vim actricem ut supra demonstratum roborat. Sicut ergo per vires motrices solidorum auctas omnes a solidis dependentes actiones vitales, naturales & consequenter ipsae animales generaliter necessaria proportione augentur; extra dubitationem positum est, per intimam combinationem & mixtionem partium corticis activarum cum sanguine nostro crassus ejus non modo mutari & meliorari; verum etiam actionem in solida supra dictam, ex hac parte novas consequi vires & robur. Natura rei has cogitationes videtur defendere sicuti a fano ratiocinio non sunt alienæ. Propugnat ipsas quoque experimentum a Viro in detegendis physicis veritatibus acutissimo & solertissimo Dn. Hales cum Decocto corticis chinæ institutum, quo arteriæ non modo sensibiliter contractæ fuerunt, verum etiam ad partem tonum eorum auctum plane retinuerunt, quamvis omnem ad naturalem eos rursus redigendi diametrum impenderit operam Dn. Hales physicus hic celebris x). Objectio quidem heic locum habet, rem

in

x) *Hales bæmastatic or Statical Essays Vol. 2. pag.*

131. *Exp. XVI.*

1) I made a strong Decoction of Peruvian Bark; boiling a Pound of it in three Gallons of Water to two; when cold it was filtrated several times thro' a Flannel Bag. The Day following i prepared and slit the Guts of a young Spaniel Bitch as in the foregoing Experiment.

2) I first poured into the Tube which was fixed to the Aorta four Pots of warm Water, containing eighteen cubic Inches each, the last of which passed off in 62' of time. Then i pourred in successively sixteen Pots of equally warm Decoction of Bark, the first of which passed

in corpore vivo secus se habere & hoc etiam concedo;  
essentialem vero adesse disrepaniam interactiones corti-

cis  
off in 72" and the following flower and flower, in propor-  
tion as the Vessels grew more and more contracted by the  
stiptic Quality of the Decoction, so that the 16 th. Pot  
was 224 in Passing,

3) Then J. poured in successively eleven Pots of  
Water of the same Heat with the Decoction, the first of  
which Pots was 198" in passing, and the succeeding ones  
passed sooner and sooner in proportion as they washee of the  
Decoction, and thereby relaxed the Coats of the capillary  
Vessels, til the eighth Pot which passed in 96", after  
whieb the three following Pots of Water passed off in  
the same time, the Vessels relaxing no farther. Is was  
not to be exspected that the Water should so far relax  
them as to pass off in 62" of time, which the above-  
mentioned fourth Pot of Water did in this Experiment;  
for I always found that by a long Continuance to pour  
in the Water, the Vessels did gradually let less and  
less pass; the Capillary Vessels being compressed by the  
Water that insinuated into all Parts of the Coats of  
the Guts, so as to make them much thicker than they  
were at first; now tho' Constriction which is thus occa-  
sioned can only be increased by the affusion off much hot-  
ter Water, as was done in the foregoing Experiment;  
whereas the Constriction of the Vessels which is owing  
to the stiptic Quality of the Liquor, is we sec, in this  
Experiment and others, manifestly taken away by the  
relaxing Quality of the Water, which washes away  
the stiptic Virtue.

4) I then poured in successively five Pots of cold  
pump Water which was fourteen Degrees above the  
freeing Pot of warm Water passed in 96", the fifth  
Pot of this cold Water was 136" in passing.

cis in animale nuper mortuo & vivo, neminem quidem assentire posse, existimo, qui experimentum paulo accuratius consideraverit, nec non observationibus Cel. Dn. Haller aliorumque celeber. physicorum edoctus fuit, sensibilitatem & irritabilitatem partium solidarum corporum animalium & inde dependentem facultatem agendi & patiendi non statim evanescere, sed post mortem per magnum satis adhuc temporis intervallum perdurare v). Tota vero respectu actionis differentia iudicio meo consistit in eo, quod decoctum experimento dicto immediate egerit, cum hoc in corpore vivo per sanguinem fiat, quare in hoc casu effectus sunt debiliores. Sicuti vero hoc experimento mea de modo Corticis operandi defenditur idea; ita quoque scripta clarissimum virorum, Fr. Hofmanni, Wherlof, van Suieten & aliorum ipsius sunt apologiae, dum pharmaco hoc eandem quam ego feci vim attribunt corroborantem & consequenter stimulantem, quia in operatione, haec illi antecedit; quare necessaria consequentia ex hac tam manifesta ejus proprietate actiones in corpore ducantur; neesse est. Celeberrimus quidem Sthahl efficaciam eius solum adstrictoriam & quidem impetuose, ut dicit adstrictoram, adscribit, cum aliisque adstringentibus ad unam refert classem; hoc vero ab ipsa experientia & sensibus nostris propriis referatur. Acerbissimus Acaciæ ægypticæ succus inquit van Swieten w) si ad pauca tan-

E

tum

5) I tried in like manner a strong Decoction of Oak Bark on another Dog, in which the preceding Pot of warm Water was 38' in passing, but the following six Pots of Decoction so contracted the Vessels that the last of them was 136' in passing.

v) Diff. de Mrs Haller sur les parties irritable &c. avec la preface de Mrs Tiffot. pag. 43. 44. 52. 56. w) Swieten Comment. F. I. pag. 37.

sum grana ore retineatur, omnia contrahit, omnia oris interni vascula inhalantia & exhalantia sic stringit, ut per semiquadrantem horae os totum siccissimum maneat. Ipse grij succi hujus sine vehiculo deglutivi; finitis vero 3 minutis vehementem orificiorum ventriculi praesertim superioris constrictionem, difficultem respirationem & anxietatem percepit, adeo ut ad solutionem ejus & vis diminutionem aquam coctam large bibere coactus essem. Anno vero phænomena a semi drachma Corticis sumta cum his comparari possunt? Cetera omnia adstringentia experientiae conformiter in actionibus vitabibus & naturalibus varias causant perturbationes, criticas ejusmodi evacuationes omnes generis fistunt, inflamationes aliaque symptomata spasmodica producunt; Cortex vero nunquam personis enim omnis ætatis & conditionis, puerperis, infantibus lactantibus &c. propinari potest & per longam experientiam Virorum præclarissim. multorum patet eum recte adhibitum ipsis nunquam esse damno; nullam enim subito ad sanitatis detrimentum cohibet evacuationem, sed potius omnes se & excretiones ad debitum rectumque ordinem, redigit. Tali modo omnes Sthahlii non nullorumque discipulorum ejus scrupuli in Corticis utilitatem & præstantiam facti, evanescunt, cum demonstrari non possint,

### §. XIII.

Quia ergo Cortex tam in solida quam fluida corporis nostri agit, horum cras in, illorum vero robur multifarie emendat; ambo vero ad debitas eorum a naturaque destinatas functiones aptaque idoneaque reddit; concludimus ex his illum in omnibus morbis, qui relaxationem, debilitatem nimiam in genere nervoso & vasculofo, imo in omnibus partibus firmis mobilitatem cum inde dependente degeneratione humorum stagnationeque eorum pro causa immediata seu fundamento habent, & qui medicationem non

non respuunt, non solum magna utilitate adhiberi, sed & considerari pro remedio securissimo, certissimo & efficacissimo, quare in hoc genere morborum ab Auctori- bus tituli ipsi attributi, quos Celeb. & eruditissimus Dn. Professor Rosén x) in dissert. sua egregia diligenter colligit, cardiaci nempe, balsamici, stomachici, antehy- sterici, antehypochondriaci, nervini, visceralis, carmi- nativi, emmenagogi, diuretici &c. ei omnino competit. *Cardiacum* enim est præstantissimum, dum vi stimulante sua statim vim cordis motricem auget, illamque conti- nuato usu vi corroborante conservat. Eo meliore vero jure de eo hoc prædicatur, cum non instar multorum alio- rum Cardiacorum sic dictorum, calorem præter natura- lem, sitim, & alia symptomata febrilia excitet, sed potius si recte fuerit adhibitus, uti optime monuit Cel. Tortus y) ea propulsat, & pulsum in naturalem redigit me- diocritatem. Pari ratione jure appellatur *stomachicum*, *antehystericum*, *antehypochondriacum*, *nervinum*, *visce- rale*, *carminativum* &c. dum recto hujus remedii usu in visceribus iusta virium mensura, debita functionum re- ciprocatio, motuumque conveniens & recta determina- tio restituitur, quo facto in toto abdomen, uti & in to- to corpore obftaculis sublati, naturalis recuperatur status. Ipse in diversis morbis difficilioribus præsertim in malo hypochondriaco & hysterico, in colica, cardialgia flatu- lenta, in nimio & imminuto & suppresso mensium fluxu, imo in hæmorragiis omnis generis magnas corticis vires saepius cum admiratione observavi; sicuti e contra hoc remedio, manu non experti artificis adhibito, plus damni quam emolumenti inde emergisse observavi. Heic ca- sus illos allegare non pertinet, in posterum vero eos, nec non quos posthæc ex praxi præclarissimorum medi- corum

x) In *dissert.* Lond. Goth. A. 1744. p. 27. y) *Torti therap. special.* p. 26. *Liber. I.* cap. 3.

corum medicinam Holmiæ & Upsaliæ exercentium colligere potero, illis addam, qui in scriptis traduntur optimorum practicorum. *Anthelminticum* Cortex vero salutatur, quia non modo ut omnia amara vermbus est inimicus, sed præcipue ob vim ejus stimulantem & corroborantem sæpius dictam, qua augetur motus peristalticus & secretio lymphæ mucique intestinorum, quare vermes ubicunque adgressi, præsertim si pharmacum hoc eum purgante ad illum finem convenienti E. G. sale seidlinensi fuerit mixtum, tandem langventes vel mortui e corpori ejiciuntur. *Corticem* esse *balsamicum* eo minus negari potest, quia resina, Gumi & sal essentiale ejus satis hoc demonstrant. Ex effectibus simili modo apparet, dum non modo corpori mediante vi stimulante & roborante calorem reddit, verum etiam sanguini admixtus ad naturalem gradum eum auget atque conservat, uti quoque corruptioni instar allorum balsamicorum resistit, quod etiam demonstrat mutatio illa quem producit in eis, qui sphacelo ex cauſa interna laborant. *Saponaceum* esse partes constitutivæ satis testantur, quibus non modo in solida agit &c. verum etiam bilem emendat, ejus vices absolvit, succum pancreaticum, chylum & alios in primis viis degentes humores corrigit & ad usum eorum utiles atque convenientes reddit, quare consequenter ut alia saponacea agit digerendo & abstergendo.

Ex his pari ratione, qua ex eis quæ de effectibus corticis in solida & fluida corporis nostri supra sunt dicta, facile intelligitur, quatenus ceteræ superdictæ ei competant qualitates.

#### XIV.

S. D. & morbos quibus profligandis *Cortex P.* magni nominis audit remedium, in posterum pro facultate mea considerabo, & sic quod de modo hujus phar-

pharmaci operandi specialis, ratione morborum & individuorum diversitatis evidentius adhuc ante oculos ponam.

Ex generali vero hucusque facta consideratione utilitatis Chinchinæ evidentissime quoque sequitur, quale damnum generaliter efficiat cortex in statu ei non solum opposito ubi prodest; hoc est in rigiditate solidorum, & fluidorum inde dependente nimia adunatione & immobilitate; sed etiam quando solida tono robo-  
reque gaudent naturali, quia tunc usu Corticis antea dictus oritur status nimiae cohesionis solidorum & fluidorum, & consequenter duo principalia requisita ad liberam circulationem & cum ipsis, ipsa sanitas destrutur.

Quo vero limites mihi præscriptas brevis dissertationis academicæ non transgrediar, finem ei statim imponam, compendio solum adjecto totius ejus summae.

Tradidi vero primo in hac dissertatione, historiam (§. 1.) Corticis, in ipsaque advectionem ad Europam, deinde botanicum ejus characterem (§. 2.) & tandem fata præcipua, quæ post advectionem ad Europam ad hunc usque diem experta fuit.

Deinde quod per sensus & analysin chymicam in eo animadvertisit ex optimis autoribus, nec non ex propriis cum illa institutis experimentis demonstravi (§. 3. &c.). Denique etiam ex propriis observationibus modum ejus operandi in corpore vivo generaliter demonstravi, dixique illum vi sua stimulante & corroborante, nec non principiis balsamicis, saponaceis &c. agere in duas partes corporis nostri principales; solida quando præternaturali conditione vel perverso usu & rerum non naturalium & ex aliis causis roborisque expertes

11 443

pertes facti sunt, stimulare & corroborare; fluida vero ex his causis degenerata & in vasis stagnata corrigere in circulationemque ducere; ambo vero generaliter ad functiones secundum diversum ordinem & conditio-  
nem a natura destinata, apta & ido-  
nea reddere.

### T A N T U M.



Vulcanus Min. Mede  
Ex C. III - 66

F28